

fylva suis iterum folijs rediviva superbit :  
parturit almus ager ; pinguntur floribus arva :  
conciliatq; suo spem vinea grata colono.

Sic quoq; Sortis heræ rabies non usq; procellis  
horrifonis instat, servatq; irata tenorem :  
nec tam adeò gravis est unquam ; quin commoda secum  
non quædam ferat : ac luctus longinqua frequentis  
tædia, læticiæ tandem dulcore serenet.

Nam mala sæpè bonis dant cursum, & cardine verso  
sunt bona caussa malis : expertis credere fas est.

Te nunc te intueor Zittavia nobilis : hanc tu  
fortunam experta es : memori iam pectore servas  
tertia ut in cineres correpta resederit Urbis  
pars flammis, gemina & iam tum vice mœsta pavefcis.  
Vix ubi disiectas moles, convulsaq; saxis  
fata crexisti ( cum iam duo lustra revolvens  
Sol pater auricomus bigis afflaret anhelis : )  
ecce novam intentant tibi Fata ( ò horrida ) cladem.  
Visa tuam nuper contagia dira per Urbem  
serpere, permultos hominum demittere leto :  
sæviti atrox Lachesis, luctu Libitina frequenti  
compita lata replet : resonant plangoribus ædes.  
Hic patriæ Patres deflent : hic morte peremtum  
præfectum sacris Vatem : qui carmine docto  
grata DEO templis resonârat, ad alitis instar  
frondea quæ cantu mulcet virgulta sonoro.  
Et nunc æthereas tranans volitavit ad arces :  
& stipante choro aligerum modulamina pangit.  
Te quoq; Apollinea insignem doctissime lauru  
GALLE, manu medica, terræq; potentibus herbis,  
qui tabe infectis producere fata solebas,  
nec Musarum artes, nec Apollinis infula texit.  
At nunc Archiatri ad latus Israëlis adhærens  
divinæ agnoscis Panacææ pharmaca, & usum.

B

Quid me-